



Sanctus Nidgarius à parentibus in Monasterium Ottenbeuren collocatus fuit, ut ibi literis & uirtutibus institueretur. Id ante centum circiter annos à Selaco optimo Francorum Orientalium principe fundatum erat. In eo adeò profecit, ut totius collegij consensu eius loci abbas eligeretur. Eam abbatiam nactus, omnia ad Dei gloriam & iuuentutis in bonis artibus educationem retulit. ita ut ubiq; magnum sanctitatis nomen compararet. Cum itaq; postea Adelgerus pastor Augustanus mortuus esset, ipse anno octingentesimo sexagesimo sexto, eius Ecclesie Episcopus constitutus fuit. Itaq; eam uocationem suscipiens, per

quatuor annos magna dexteritate peregit, atq; ceteros suo exemplo ad pietatem excitauit. Verùm cum omnia in meliorem ordinem disponere statuisset, immatura morte præuentus obiit, atq; magnum sui desiderium omnibus reliquit. Is postea à successoribus ob uirtutes in sanctorum catalogum adoptatus fuit. Anon. in Episc. August.